



**CENTRE FOR RESEARCH COLLECTIONS
EDINBURGH UNIVERSITY LIBRARY
GEORGE SQUARE
EDINBURGH
EH8 9LJ**

TEL: +44 (0)131 650 8379

FAX: +44 (0)131 650 2922

BOOK-SCANNED 2006

SHELF MARK: [Att.88.5.21/26](#)

TITLE: Dissertatio medica inauguralis de febri endemica
Bataviae : quam, annuente summo numine, 1828

AUTHOR: [Thomson, John](#)

N.B. This is Pamphlet 26 only.
Scanned as single pages.
Due to variations in the density of the text some words are illegible.
The binding frequently obscures text in the guttering.
THIS IS THE BEST COPY AVAILABLE.

The University of Edinburgh Library



This PDF is supplied under a Creative Commons CCBY License:
you may share and adapt for any purpose as long as attribution is given to the University of
Edinburgh. Further information is available at <http://creativecommons.org/licenses/by/4.0/>

Please address all enquiries to Centre for Research Collections.

The Library wishes to be informed of work based on this Pdf copy, and would welcome a
copy of any publication that makes use of it.

The University of Edinburgh is a charitable body, registered in Scotland, with registration number SC005336

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRI ENDEMICA BATAVIÆ.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRI ENDEMICA BATAVIÆ;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,
JOANNES THOMSON,

Anglus,
IN CLASSE REGIA CHIRURGUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN.
ET
SOCIET. MED. CHIR. LOND. SOB.

Plus apud nos vera ratio valeat, quam vulgi opinio.
CICERO.

IV. ID. JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI :
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCLXXXVIII.

VIRIS EXIMIIS

GEORGIO DIGBY,

ET

RICARDO CREYKE,

ARMIGERIS,

NECNON

HONORABILI HENRICO JOANNI ROUS,
IN CLASSE REGIA PRÆFECTIS.

*SOLERTIAM nauticam, morumque eorum comitatem
admiratus, animumque ut ostenderet ob perpetuam sibi
benevolentiam gratissimum, sub his dum quo ordine su-
pra stant nomina, munere chirurgi fungeretur,*

HANC DISSERTATIONEM

SUMMA REVERENTIA

DEDICAT

JOANNES THOMSON.

VIRIS ERUDITISSIMIS

GULIELMO BURNETT, M. D.

ſc. ſc. ſc.

AD REM MEDICAM CLASSIS REGIÆ BRITANNICÆ REGENDAM
COMMISSIONARIO,

NECNON

JACOBO JOHNSON, M. D.

ſc. ſc. ſc.

AUCTORIBUS SIBI SEMPER ÆSTIMANDIS,

QUIPPE QUORUM SCRIPTIS MEDICIS,

SUMMA DOCTRINA, ACRES INGENII DOTES RENIDEANT :

ULTIMO QUIDEM, OB MONITA PRÆSTANTISSIMA,

SIBI MALIS MORBI TROPICI COLLUCTANTI,

ELARGITA,

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM

OFFERT

AUCTOR.

Sed et spe frustrabitur qui ingentem Remediorum, seu Formularum sylvam hic expectaverit, cum medici iudicio permittatur, ut pro re nata iis utatur; mihi sufficit innuisse quibus indicationibus satisfaciendum est, quo etiam ordine et tempore; etenim in eo præcipue stat Medicina Practica, ut genuinas Indicationes expiscari valeamus, non ut remedia excogitemus quibus illis satisfieri possit; quod qui minus observabant, Empiricos armis instruxere, quibus Medicorum opera imitari queant.

SYDENHAMI, *Oper. Univ. Prefat.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRI ENDEMICA BATAVIÆ.

Auctore JOANNE THOMSON.

QUALIS extiterit Febris inter naves, dum Bataviæ commorarer, literis hic tradere consilium est. Atque cum loci descriptio sæpe morbis ejusdem illustrandis utilis inveniatur, compendiaria quædam ejusmodi ante morbum ipsum delineatio ut tradatur, conferet.

REGIONIS DESCRIPTIO.

BATAVIA, insulæ Javæ portus opulentus, sub circulos $6^{\circ} 10'$ Latitudinis australis, et $106^{\circ} 51'$ Longitudinis a Londino orientalis, sita est. Op-

pidum in loco sinus amplissimi quam maxime reducto, sedem habet, quem ab ortu et occasu promontoria defendunt, insularum exiguarum congeries, ab anteriore parte respiciunt. Terra molli-ter a tergo, nimirum a septentrionibus se tollit, ut ad millia quædam passuum interius altitudinem haud mediocrem attingere videatur.

Hunc sinum decima circiter hora quaque matutina aura maritima revisit, noctu terrestris. Oppidum palude propemodum circumdatum : et in ipso spatio, eidem ac mari interjecto, planities quædam noxia lutulentaque posita est, quam maris per aliquot ulnarum centurias, in seculo præterito recessu accolæ relictam perhibent. Canales quoque plurimi, plerique ruinosi, oppidum usquequaque intersecant, atque brevia fluminis æstuarium obsident, quo illuc advenis, atque per hæc scaphia etiam manu protrahi sæpe necesse est. Eadem circa se animalia ac vegetabilia putrida undique colligere videntur, deficiente nimirum aquæ altitudine, quanta iisdem extrorsum in sinum provehendis suffecisset. Variis igitur de his originibus miasmata affatim evolvi necesse est, quæ cœli ardore adjuta febres, quod metuendum erat, dirisimi ingenii procreant.

Bataviam septimo Martis mensis die anni salutis 1822, appulimus, ipsa sub fine tempestatis pluvialis, nonaque jam hebdomade navigationis huc ex Australasia. Nautæ omnesque in nave optima valetudine hactenus fruebantur: atque hic ad ineuntem Junium commorati sumus.

Thermometrum FAHRENHEITI in mense Martio a gradu 77° ad 86° vacillabat; in Aprili ab 80° ad 86° ; in Maio ab 80° ad 90° ; maximus calor fere ad tertiam post meridiem horam.

In nostra nave, prima febris die 29. Martii, hoc est, tertia jam hebdomada post adventum, occurrit. In universum vero per naves quærendo didici, febrem raro ante secundam vel tertiam hebdomadam post adventum suum, supervenire.

HISTORIA MORBI.

NONNULLIS languoris lassitudinisque sensus, cum appetitus jactura, capitis itemque dorsi lumborumque dolore, obrepit, paucis horis, aliquando toto die, antequam morbum se ostendisse jure dicamus. Plerisque tamen accessus subitus, sine ullo monitu prævio erat, atque signa quæ sequuntur, frequentissima videbantur.

Protinus ab initio æger occupatus est sensu debilitatis, algoris per cutem repentis, raro tamen in horrores transeuntis, vertigine, vel capitis dolore, pulsu celeri, tenui, lingua parum mutata, vultu pallido et anxio. Hæc signa fere brevi durabant spatio, quod frigidum febris stadium quodammodo vocari potest : sed adeo brevi, ut pauculis tantum exemplis egomet observare possem.

Renixus cito exoriebatur, cutis arida siccaque, vultus sanguine suffusus fiebat, cum temporum pulsatione, gravitatis supra oculos sensu : ventriculi turba, crebroque vomitu. Dolores dorsi, lumborum, membrorum graves aderant ; pulsus celer, durus, plenus, lingua et fauces siccæ, cum multis, alvo fere adstricta, respiratione celeri. Vultus admodum plerumque anxius erat ; atque summo paroxysmo sæpe delirium. Nihil de urinæ statu dixi, quia in omnibus regionibus calidis, etiam in salute, parca hæc et saturato colore est, citoque, quiescens, foetida evadit.

Hæc signa per aliquot decem plerumque aut quindecim horas, aucta vehementia ingruunt, cum humor in cute evadit, sitis minuitur, pulsus lentior molliorque fit, magna cum diminutione, vel fere universa absentia capitis doloris, ventriculi

perturbati, aliorumque ejusmodi signorum, atque nonnullis tanta superveniebat remissio, uti, morbo homo in toto liberatus videretur, ut, si tum medico hanc febrem non usu satis edocto ostensus, eum vix omnino ægrotare hic judicaverit. Sed penitus exploranti, quamvis æger sæpe nunc se nihil pati confirmet, loquela tamen gestusque solito rapidiores, pulsus tenuiores citioresque sunt, atque aspectus quidam oculorum singularis adest, neque descriptu facilis, sed qui turbidus, semiopacus, nihilque exprimens, oculo piscino cocto, quam cuius rei mihi notæ, similior apparebat. Nitore suo proprio prorsus carebat, atque, ni fallor, eo magis quo periculo pleniora exempla quibus vidi.

Tempus remissionis varium fuit. Nonnullis, præcipue ab initio protinus morbi ad horas duodecim usque duravit, donec priora mala, nimirum capitis dolor, pulsus celer, ventriculi perturbatio, aliaque brevi redirent.

Progrediente morbo, remissiones minus minusque distinctæ evadunt; indicia ipsa graviora, præsertim capitis, ventriculique mala; raro autem utraque eodem tempore.

Sub lethalem terminationem, maxime in exemplis protractis, pulsus fit debilis et velox, lingua

sordibus sulcata, dentes iisdem tecti, os mucoviscido onustum, sudoribus viscosis per varias corporis partes, maxime per faciem pectusque erumpentibus; membra extrema frigida, cum stupore multo, cutis aliquando flavida, atque vultus sæpe plumbeus. Nonnullis alvus atra, quasi gelata, nec raro vomitus materiæ atræ, post quæ horæ non multæ miseriis finem imponunt, etsi non deessent quibus, licet paucissimis, hæc conditio per viginti quatuorque horas maneret antequam vita extincta esset.

Stupor iis maximus fuit, quibus protinus ab initio cerebrum valde perturbatum fuerat.

Vomitibus vero ater, vel purgatio in iis plerumque, quibus ventriculus maxime affici visus.

In exemplis lethalibus mors a tertia ad decimam quartam, plerumque tamen ante septimam diem accessit.

Hæc quasi generalis mali species fuit, etsi signa sæpe variaverint.

In uno et gravissimo exemplo, pulsus vix a norma sanitatis deflexit; sed in eo, accessus subitus erat, cum magna cerebri oppressione. Hic autem mature extinctus est.

Alii perpetua alvi dejectio aderat, coloris rubri,

vel initio febris, sanguis tamen in hac nullo modo deprehendi potuit. Viginti quatuorque annos natus erat, pleno floridoque corpore, capillis lætis, cuticula lucida. Per totum morbum ventriculus maxime irritabilis ei fuit, nec ut sanguinem mitti sineret, persuaderi potuit, debilitatis, nimirum, maxime metuens.

Duo exempla cum hepatis inflammatione conjuncta videbantur; ægri enim ipso impetu de dolore dextri lateris cruciante, pressu aucto, querebantur. Alteri, qui sanguineus fuit, hepar grandius videbatur, sub finemque morbi suppuratio evidenter facta erat, atque abscessus in intestina se depleverat, ut dejectiones testabantur. Idem extinctus est.

Alter qui tenui fusco corpore erat, resipuit. In utroque remissiones minime distinctæ fuerunt.

Nocte qua Bataviam adveneram, jam septimo die laborantem vidi. Apyrexia absoluta erat, pulsus vix non naturalis, cutis frigida et humida, lingua albida, parum sulcata, alvus adstricta: sed eam oculi speciem singularem quam antea memoravi, in viro deprehendi. Atque cum hoc primum tempore morbum vidissem non magno versari periculo eum putavi. Curatus enim a navis

Præfecto, ratione consueta chirurgoque oppidi laudata, idem fuerat; nimirum, decem vel quindecim calomelanos grana, bis terve die hausit; et decem quidem ejusdem grana, ante paulo quam viderim, sumpserat. Nisi alvus mane solveretur, oleum ricini sumi præcepi: scilicet, si alvi duritia sublata esset, hominem morbo cariturum reputans. Sed adventante Aurora, cum navem ejus conscenderem, mortuum attonitus inveni: nimirum, paroxysmus nona post meridiem hora intervenerat, et hominem mediam ante noctem sustulerat.

Aliud exemplum, ante discessum, mihi occurrit. Homo per tres ante dies ægrotaverat; et tertio die mane ipsum vidi circumcirca ambulans, atque quantum apparuit, febre vacuum: sed cum specie oculi singulari illa memorata. Vespere cum reviserem, mortuus est!

DIAGNOSIS.

IN hoc morbo diagnosis nequaquam difficilis: nec alii sunt morbi quibuscum confundi possunt, nisi,

1. Febris inflammatoria, qualem sol, ebrietas, nimiave exercitatio, ibi gignere consueverint: quæ

confestim tamen remediis stricte antiphlogisticis tollitur, nec ullas ostendit remissiones; vel

2. Intermittentes febres, quæ nihilominus prima remissione facile agnoscuntur.

In febre enim Bataviæ signa tum non omnino recedunt, apyrexia multo brevior est quam intermittenti esse solet. Quin toto tempore quo ibi commoratus sum, ne unam quidem Intermittentem febrem primariam vidi: siquando enim, nec adeo rara appareret, sequela Remittentis febris manifesta erat.

PROGNOSIS.

CUM hic morbus adeo rapidus lethalisque in cursu suo sit, justam ab initio protinus prognosin statuere difficile est. Si æger jam senex, vel fractis maxime per ebrietatem, corporis viribus, est, si ex alio morbo recens convaluit, ut cholera vel dysenteria, si sensorium maximopere depressum videatur; vehementer metuendum est.

Sed contra, si æger juvenis est, probaque ante accessum valetudine, tenuique corpore; si mature in morbo visus fuerit, eventus faustissimus sperari potest.

CAUSÆ.

CAUSA EXCITANS vel *essentialis* proculdubio miasma paludum est, calore utique, quem vehementem esse supra vidimus, exacerbatum.

Quid autem sit paludum miasma, quoque modo in corpore humano agat, hactenus incognitum est; etsi diri ejus effectus his, qui ei obnoxii fuerint, nimis manifesti intelligantur.

CAUSÆ DISPONENTES sunt quæcunque corpus infirmant, munera turbant, præsertim ebrietas, nimia exercitatio, morbus prævius, metus, qui quidem diros præstat effectus, atque a poëta bene describitur in morbo Indiæ occidentali infesto :

“ Heard, nightly plunged amid the sullen waves,
The frequent corse ; while on each other fixt,
In sad presage, the blank assistants seem'd,
Silent, to ask, whom fate would next demand.”

THOMSON'S *Summer*, 1048.

Egomet quidem in omni febre tropica semper subtimere soleo, cum æger de morbi eventu admodum meticulosus videtur ; plerumque enim tales se morti animo suo destinantes, revera mori inveni, etsi signa minus gravia quam in multis

valetudini restitutis apparerent. An fieri potest, animum quid mali futurum sit, præsentiat, quamvis indicia adstantes minus admonent?

RATIO MEDENDI.

Ex febrientibus Bataviæ, paucos horroribus affectos vidi. Quibus tamen aderant (etsi nihil intercipere febrem illam valere judico), insigne levamen præbuit, pedum in aqua calida lavatio: necnon medicamentum purgans, cum multo potu calido. Fortassis et hoc stadio vomitorium profecisset, ni exhibere ob mala inde aliis medicis descripta, et, ni fallor, exaggerata, metuissim. Pœnitent nunc utique me illud non expertum esse.

Præcipua igitur curatio in duo consilia resolvi potest,

1. Nimiam actionem temperare, ideoque sanguinis congestionem, in duobus visceribus vitalibus maxime affectis, arcere.

2. Inter remissionem, ne actio febricitans morbosa redeat, prohibere.

Quod ad primum consilium attinet, nimirum, actionem nimiam moderandum, illa observari oportet. Cum hic morbus semper cum aucta im-

primis actione sit, atque in progressu mire ad cerebrum ventriculumque dirigatur, primum remedium erit

Sanguinis missio, quæ semper pro viribus, vel ad signa usque mitiganda, instituenda est. Si renixus quidem denuo se ostendat, missio repetatur, præsertim in robustis viris; non enim copia unciarum detractarum, sed efficacia in morbo debellando, respicienda est. Porro, nec unquam a venæsectione absterreri nos debilitatis metu oportet; persuasissimum enim habeo, multo plus periculi subfuturum, si morbus curriculum suum absolvere, nec interruptus sinitur, quam de copiosa depletionem nasceretur. Debilitas sanguinis missione superinducta longe minus periculosa est, longæque facilius curatur, quam quæ nimia morbi actione originem ducit.

Ex numero febrientium mediocri, quibus sanguinem detraxi, tres tantum mortui sunt. Primum quidem nonnisi dies aliquot post febris accessionem vidi, sed symptomata mihi hanc depletionem postulare videbantur. Secundus senior erat cui tamen hoc aliisque remediis febris subtracta fuit, de qua per dies quatuordecim liber remansit, sed vires haud interea recuperavit, atque

mane quodam in lectulo, sine ulla satis manifesta causa, mortuus inventus est. Tertius juvenis erat. Sanguinis missio in hoc non nisi fugacem habuit effectum in signis mitigandis, atque quibuslibet aliis remediis nihil obstantibus, morbus rapidum ac lethale suum curriculum explevit.

Purgatio alvi proximum remedium est, cujus effectus in hoc morbo potentissimus. Alvus probe solvi semper debet, in hoc morbo, jalapa, scammonia, vel gambogia, cum submuriate hydrargyri juncta: vel dosis modica hujus præberi potest, cito deinde per oleum ricinum eluenda.

In mitioribus fortasse formis, vel corporibus delicatis, si purgatio nimia sponte accedat, nulla sanguinis missionis necessitas erit; atque hæc opinio posthæc confirmata fuit amico nostro optimo Dom. JACOBO MITCHELL, doctissimo in Classe Regia Britannica chirurgo, qui Bataviæ annis 1820 et 1822 commoratus est, nec sine multa experientia medendi, apud Lascaros hæc febre affectos, licet iisdem oryza, vegetabilibus, et lacte pene solis vescantur, victu animali omni evitato. Hic alvi purgatione sola fisus est, et felicissimo eventu, cum ne unum quidem ex iis morti occubuerit.

Hydrargyrus, præsertim submurias ejus, pur-

gans inæstimabile est : quinetiam postquam alvus bene soluta fuerit, cum pulvere antimoniali, ac parvis opii dosibus conjunctus, hic mire prodest. Formula qua ego usus sum hæc erat. Submuriatis hydrargyri granum unum cum duabus pulveris antimonialis granis, et quarta unius grani opii parte, miscebatur, sæpiusque in die dabatur. Humores hic leniter ad cutem dirigere videbatur, visceribus adeo internis maxime liberatis. Alvum quoque sæpe laxaret, quod si minus, ad oleum ricini aliudve purgans medicamentum, confugere necesse fuit.

Exhibitio hydrargyri, ut corpus specifica sua actione totum afficiat, ad morbum curandum minime mihi utilis videtur. Multos ex hac aliisque febribus convalescere sine saliva mota vidi; quin cum tandem aliis salivatio supervenisset, tempus his convalescendi longius inde quam in aliis febrientibus trahi annotavi.

In exemplis gravioribus compertum est, ptyalismum nullo modo, quantacunque hydrargyri copia data sit, excitari posse : atque ubi advenit, verisimillimum est, ut remissioni signorum potius, qualis medicamentum effectum suum præstare in corpore sinat, quam ipsius hydrargyri vi-

ribus debeatur. Si hepatis inflammatio cum febre conjuncta sit, tum proculdubio hydrargyrus summopere utilis erat. Hæc autem conjunctio rara, nec nisi duobus quæ supra memoravi exemplis, mihi visa est.

Neque vero post hanc febrem viscerum infarctio vehementer metuenda est, si modo protinus ab initio æger probe depletus fuerit. Decem enim viris hac febre affectis, et mecum in nave nostra domum reductis, quibusque nulla salivatio mota fuit; ne minima quidem obstructionis species post quartum deinde mensem se ostendit. Pluribus etiam aliis a me ibidem curatis, quorumque historiam postea me discere contigit, nullus viscerum morbus accessit.

Capitis dolor sæpe frigidis admotis lenitur.

Cum autem potum constanter efflagitent, hic, nisi quibus ventriculus perquam irritabilis sit, ad libitum concedendus est.

Mobilitas ventriculi aliquando vesicatorio scrobiculo cordis admoto sedatur.

Sanguinis missio hanc ventriculi conditionem mirifice lenit. Aliquis erat, vel ab initio protinus vomitu correptus, et vanis deinde ad vomendum conatibus incessanter vexatus, quique per viginti

quatuorque horarum sanguini mittendo pertinacissime obstiterat. Tandem vero consentienti uncias triginta summo levamine detraxi, inanes vomitus cessarunt, humor modicus prodiit in cutem, atque nocte postea commodissima, sine tamen somno multo, fructus est. Hic autem convaluit.

Quæ ad secundum consilium pertinet.—Si æger principio bene depletus fuit, remissio plerumque valde manifesta erit. Alvi tamen statui in ea diligentissime attendendum est, ut soluta teneatur: quem ad finem submuriatis hydrargyri, pulveris antimonii, opiique compositio supra dicta perutilis est, interposito identidem oleo ricini communis. Huic si remissio evidentior sit, adjiciantur, veluti cinchona, solutio arsenicalis, sulphas zinci, prout opus visum; quæ si reditum febris non ex toto arceant, prorogabunt tamen, sæpeque morbum in intermittentem mutabunt, qua quidem forma longe tractabilior evadit. Præsentaneum remedium nunc in sulphate quinæ habemus, utpote quod minimis modis haustus ventriculum haud facile turbat. Hoc nuper summo et conspicuo beneficio in febribus Indiæ remittentibus adhibui.

Amicus noster Dominus MITCHELL quem antea memoravi, deficientibus sibi remediis roborando aptis, ad rubiginem, ex catena ferrea qua nunc pro rudente nautæ utuntur excussam, confugit, nec mediocriter proficere invenit.

Victus levissimus esse debet, per totum morbi decursum, ex sago, maranta arundinacea, tapioca, &c. Vinum nunquam permisi, quippe qui virium stimulantium ejus noxam pertimescerem.

Diximus jam medendi rationem quæ mihi optima visa est, quaque omnino usus sum.

Verum inter convalescendum, alvus adhuc sedulo respicienda est, victu leni nutriente, modico vino concesso. Cum possibile est, a Batavia discedere, sive in altum, sive in montes interioris insulæ, multum juvat; sic enim recidiva cavetur, etiam cholera et dysenteria, quæ huic morbo supervenientes, lethales fieri solent.

Sæpe autem fit, quod remediis omnibus nostris nihil obstantibus, morbus ad stadium ultimum et lethale properet: vel, ut sæpe fit, medicus ante hoc tempus non accersitus est, in quo, ut multum vereor, conamina nostra frustra erunt: nec unquam adeo feliciter manum admovi, ut unum hoc stadio ægotantem servarem. Ineptum igitur es-

set plurifaria quæ incassum tentaverim remedia, hic referre, cum ne quid ullis profecerint.

Piget quod corpora mortuorum mihi incidere minus liceret : utpote vectori tantum, nec auctoritate aliqua super socios navales pollenti, quod quidem hominum genus, sectionibus anatomicis quam maxime abhorret. Hoc autem eo minus dolendum existimo, quod incisiones aliorum simili febre per alia loca tropica extinatorum, sine dubio confirmant, mortem a læsione quadam non reparabili ventriculi vel cerebri plerumque superinduci. Raro tamen contigit ambo hæc viscera periculose una laborare *.

Sed verisimilius est, horum viscerum mala non causam febris, ut multi perhibent, sed effectum potius ejusdem existere.

PROPHYLAXIS.

HÆC optime fit, exhalatione noxia quam maxime evitata, somno intra sphæram ejus nequaquam carpto. Ubi tamen hæc observari nequeunt, modicus liquorum stimulantium usus, et

* Vide Appendix A. et B.

in ore tabaci fumi reciprocatio, prodesse dicuntur; sed hoc dubium est, etsi vulgo receptum.

Dominus RIGAUD DE L'ISLE, in disputatione de Malaria Romæ apud Academiam Parisiorum perlecta, mense Martio, anni 1817, contendit, "miasma talium locorum cum aëre mistum in pulmones penetrare, atque velum aut amictum ex bombycino pellucido naribus, et ori circumjici imperat, ut in transitu suo ad pulmones aër colatus succernatur. Miasmata aëre graviora esse, ideoque in stratis ejus infimis semper reperiri docet. Habitatio itaque in locis malaria vexatis editior, tutissima foret. Experimenta quædam Romæ paludibusque Pontinis instituens, elevationem 300 ulnarum omnino a malaria tutam esse invenit. Membranam pituitariam, partesque vicinas sedes existimat, quibus miasmata primum incumbant, donec, viribus aggregatis et quasi agmine facto, universum corpus adoriuntur."

Neve istæ notiones penitus accuratæ sint, non is sum qui pronunciare ausim: sed nullo modo dubitari potest, quin vis ejus miasmatis ad brevem tantum distantiam extendat, maximeque noctu maneque polleat. Europæi enim qui secundo tantum vel tertio milliario ab oppido Bataviæ ha-

bitant, atque huc interdium ad negotia sua facienda deveniunt, raro hac febre corripuntur. Si qui vero ex iisdem oppido forte vel semel pernoctent, fere certum est, eos febre citius serius corripandos esse.

Nonnulli roborantium medicamentorum usum prophylacticum suadent; quid autem homini sano hæc profutura sint, haud satis video; quin si idem postea ægrotaret, tempusque remittentis jam hæc necessario postularet, ne corpus jam ipsis assuetum satis moverent, utique metuendum esset. Corporibus tamen fatigatis fractisque horum usus minus ambiguus est, quoniam constitutionem talium sanitati appropinquare possent, quo melius morbo resistere accessuro valeant.

Optimum autem est omnes nec necessarios miasmatis occursus, præsertim noctu atque primo mane devitare: modico cibo potuque indulgere, sed in universum ne ullus subitus vel magnus in vitæ genere transitus fiat, sibi maxime cavere. Nautis utique, qui omnes plus minusve liquoribus distillatis uti solent, dum gravi, nec opinato toties labori, ut sæpe necesse est incumbunt, mediocrem vini aut liquorum aqua dilutorum portionem omnino salubrem existimo.

Attentio ad alvi statum cum medicamento purgante leni identidem sumpto, pernecessaria est; animus denique quam maxime tranquillus metuque vacuus conservari debet.

Hæc consilia malum non tantum commode arcent, sed si forte nihilominus supervenerit, corpus contra lethalia ejus conamina suffulciunt.

HISTORIA morbi atque ratione medendi sic traditis, ad paucula quædam generaliter notanda progredior.

Quærendo didici, Malaccenses, qui aborigines quodammodo Bataviæ existimari possunt, parum omnino ab hoc morbo affici solere; sed omnes alias gentes, Europæos, Afros, Indos, Sinenses, gravissime plecti. Sinensium, qui magno emolumento attracti ad opera pleraque laboriosa oppidi quotannis descendunt, tot moriuntur, ut novo his supplemento singulis annis opus sit.

Invenietur hic morbus, ni fallit sententia, febri remittenti aliorum locorum tropicorum vel calidorum simillimus: scilicet, ubi febris ex magno tempestatis calore, typum magis malignum induit.

Exemplo sit febris flava ea quæ in littore Africae orientali, et ea quæ oras Hispaniæ nuper olimque devastavit.

Quod miasmati paludum originem debeat, vel inde deduci potest, quod multis ex ægris meis febris in intermittentem, plerumque tertianam degeneraverit, licet ne unam quidem intermittentem primariam viderim, adeo intensa fuit causa excilians. Hæc autem observatio aliam dat probationem, *Intermittentes ac remittentes ab eadem causa provenire, nec nisi gradu discrepare.*

Hic morbus utique non contagiosus est. Nul- lum exemplum mihi occurrit, quod huic origini attribui potuit. Qui ex nautis in terra nondum expositi fuerant, sociis suis ægrotantibus perpetuo ministrabant, atque propter dormiebant, nec ta- men affecti sunt.

In nave nostra duo tantum febris exempla con- tingerunt, in viris qui terra non expositi fuissent. Alter ex his, promus condus navalis, in puppe prope fenestram apertam, dormiebat, alter vero in prora. Febres mites erant, ut altera cito in in- tereffluentem desineret; ambo cito pro sanitate mutarentur. His proculdubio aura terrestris ma- lum subvexisset.

Inventum quoque est, morbum brevi postquam anchoris solutis navis altum petat, evanescere; et si intermittentes diu postea exercere persistent. Quæ res, si ex analogia ratiocinari licet, aliud tot clarorum virorum testimoniis adjicit, febres ejusmodi contagione propagari non posse.

Doctissimus GULIELMUS BURNETT, in opusculo nuper suo aureo de febre Maris Mediterranei proponit, febres quidem hujusmodi plerumque non contagiosas esse; sed tamen contagiosas *feri posse*, sub certis conditionibus, quales sunt multi febrientes una congregati, in locis male ventilatis, aliique ejusmodi status. Porro febrem quæ in nave bellica Bann, apud insulam Ascensionis, anno salutis 1823, erupit, eam sententiam confirmare censet.

Sed et scientissima dissertatione A. D. 1824* de hac re perlecta, quæ in hanc sententiam protulit, ad contrariam prorsus me adduxerunt: atque cum res summi momenti sit, cur ab ipso dissentiam, paucis verbis propono.

Imprimis Doctor BURNETT clare evicit, fe-

* Vide BURNETT'S Official Report on the Fever in H. M. S. Bann.

brem a nave Carolina venisse haud potuisse †: cum in hac, ex causa communi illa orta erat, nec contagiosa existebat.

Existimo quoque, originem hujus in navibus Sancto Raphaele et Bann omnino consimilem fuisse. Videmus enim “ Bann Sierram Leonum die undecimo Januarii appulisse, ibique ad vigesimum septimum Martii mensis remansisse *.” “ Sanctus Raphael quoque aliquamdiu Sierræ Leonum restiterat, atque triginta millia passuum sursum adverso flumine missa fuit, ut carina reficeretur: deinde per dies quatuordecim circa Galinas navigavit, quo tempore, licet pauculi aliqui febre afflicti fuerant, nulli tamen extincti sunt. Quin et perniciosa febris forma nonnisi post reditum ad Sierram Leonum se monstravit: cum tot affecti sunt, ut præfectus de nave destruenda cogitaret, sed postea nigros pro Europæis in ea substituit, et febris cessavit ‡.” Hoc certe contagionem nihilo refert, neque constat quomodo nigri viri morbum effugerint.

“ Chirurgus quoque memoriæ tradit, quo tem-

* Vide pag. 18. ad 22.

† Vide pag. 3.

‡ Vide pag. 5. et 6.

pore Bann anchoras solveret, cœlum admodum calidum fervidumque fuisse : postea vero nebulosum, cum imbribus identidem gravibus ; atque tantus erat aëris humor ut vis frigoris noctu vehementior esset, quam pro gradu quem thermometer indicaret *.” Nunc has causas originem febris topicam satis superque evincere censeo, præsertim cum eandem terra tunc grassari constet.

“ Die Martis 27^{mo}, Bann de Sierra Leonum navigabit, cum febris jam paucis ante diebus in nave se ostenderat. Insulam Ascensionis appulit 25^{to} Aprilis mensis die, quo statim tentoria per littus, 500 ulnis a Præsidio militum, erecta sunt, atque omne commercium cum his interdictum †.” “ Hoc tempore præsidii milites sani erant, sed nequaquam morbo prævio intacti ‡.” “ Febris vero octogesimo die post navis adventum in præsidio quidem grassari incepit, sed mite unum exemplum ejus vix tertio ante adventus diem, atque in lethali illo quod octogesimo die se ostendit, neque constabat nec credebatur, puerum cum ægrotis navis bellicæ aliam communicationem habuisse, nisi quod in pullis paternis pascendis, brevi tandem distantia a tentoriis pertransiis-

* Vide p. 4.

† Ibid.

‡ Vide p. 11.

set: nunquam enim in nave fuerat *." Primum vero exemplum utique præmaturum fuit, si contagione oriundum; atque hanc in secundo mirifice virulentam fuisse oportet, si morbum nullo propinquiore accessu excitaverit, quam transitu ægri prope a tentoriis, sub Jove aperto.

"Ab hoc tempore omnis cautio adhibita est, ne malum ad præsidiola externa serperet; nihilominus sexdecim ad Fontes correpti sunt, nulli vero in Monte Viridi; quamvis homo de hoc ad sectionem bonorum mortuorum in Bann descendisset †." Hoc rursus contagiosam febris indolem oppugnat. Quonam enim modo homo in nave ad sectionem diu versatus evasisset, ii vero ad fontes, qui nunquam cum sodalibus Bannæ communicasse, morbo affecti, essent? Cum ipse Ascensione fuerim, et maximam insulæ partem peragraverim per totum mensem, me affirmare oportet, alium locum minus ad febrem remittentem gignendam probabilem vix usquam mihi notum esse; atque cum primum inaudivissem febrem ibi occurrisse, ut a nave Banna eo invecta esset, facile credebam. Sed quæ Doctor BUR-

* Vide p. 13.

† Vide p. 14.

NETT scripsit satis ostendunt, “ febrem remittentem olim incolas identidem corripuisse, quandoque anno salutis 1818 accesserat febris biliosa remittens, quæ fere nullum hominem in insula intactum reliquerat; atque hæc tempestati testudinum prehendarum præter solitum pluviosæ medici attribuerunt. Unum exemplum lethale flavam suffusionem, vomitum nigrum habuit; atque cum Doctor BURNETT hoc chirurgo Bannæ monstraret hic omnino eadem febrem, ac quæ ista nave inter nautas, marinosque milites sævierat, esse pronunciavit *.” Eadem hac testudinum venandi tempestate, Bannam advenisse notandum.

Nunc, his compertis, nonne verisimilius est febrem Ascensionis e causa topica oriundam esse, quæque ipso momento quo Banna advenerat se evolvebat, quam ut a contagione ejus navis proveniret? Nihilominus accessio ejus brevi post navis appulsum, non potuit medicis ibi non contagionem ejus inculcare: priores enim febres proculdubio ignorabant, et si ipse tunc adesse contigerim, in eundem errorem, ni fallit multum sententia, incidissem.

* Vide p. 10.

“ Dum Banna Ascensione commoraretur, navis bellica Britannica *Driver* ibidem ab ora Africae appulit. Iisdem causis ac Bann subjecta hæc fuerat, et duo scribæ navales ab ea in Banna transmissi fuerunt, quorum alter febre mortuus, alter brevi postea accessu bilioso correptus est: dum viri duo generosi qui interea Bannam inviserant, immunes restabant *.” Hæc tantum contra contagionem, quantum pro eadem, pugnant.

“ Bann de Ascensione die Junii secundo solvit, Bahiamque decimo ejusdem die advenit, ubi plures naves bellicas Britannicas, nacta est. Hic ut alterum febris indolis documentum, chirurgus adjutorius, tum forte navem sub cura sua habens, tradit, scaphii remigium de nave Tartara juxta Bannam venisse, quin et, imbre gravissimo cadente, in Banna tectum petiisse: horum quoque nonnullos pauculis deinde diebus febre correptos, aliquot etiam extinctos fuisse †.” “ Atqui de narratione Doctoris BURNIE navis Tartaræ chirurgi, febrem in hac vel mense Maio sese ostendisse; leviolem licet quam medio et exeunte Junio ‡.” Notum quoque est, eandem navem me-

* Vide p. 10.

† Vide p. 15.

‡ Vide p. 16.

dia hyeme Britanniam reliquisse, Bahiæque saltem duos ante Bannæ adventum, menses fuisse: littori quam proximam, sæpeque imbribus violentissimis obnoxiam: dum naves longius a littore ancora stantes, grato sæpe flamine, sine pluvia, fruerentur. Adjici quoque potest occupatio sodalium necessaria, in reficiendo, aquando, cæterisque, et satis causæ, ni fallor, apparebit, cur febrem scaphii sodalitiū haudquaquam de Banna provenisse credamus. Porro, nuper a viro generoso quodam ex Tartar ipse didici, febrem non præcipue apud scaphii sodalitiū, sed potius apud sodalitiū navis universum, se ostendisse: denique primum navis legatum, qui in scaphio, atque etiam in Bannam escensus esset, nunquam affectum fuisse; neque tunc temporis Doctorem BURNIE quidquam de contagione febris cogitasse.

Sed si res se aliter omnino habuisset, atque scaphii sodalitiū primi et gravissime affecti fuissent; causæ tamen locales sufficiebant, et constat, sodalitiā scapharum his multo magis sæpiusque obnoxios esse quam alios socios navales: quibus quidem febrem attribuere, quam contagioni, multo proclivior sum. Si contagiosa enim est, cur nullæ

aliis ex navibus correptæ sunt, cum, ut nuper didici, Banna cum cæteris liberrime communicaret?

Ad ultimum nunc exemplum, accessimus: “ pueri nimirum, qui in Bannam e nave mercatoria ad Bahiam venerat, tertioque deinde die febre gravissima affectus erat*.” Hic quoque causas tantum locales egisse verisimile est, atque repeto triduum nimis breve mihi videri, quo febris contagiosa post causam suam admotam, evolveretur.

Quum quæstionem hanc gravem, diligenter ut puto, candideque excusserim, non aliam inde sententiam ducere possum, quam ut morbus a causis localibus ortus sit, neque omnino contagiosus fuerit. Hujus quidem opinionis fundamenta satis stabilia monstrata supra existimo, quantum ad naves bellicas Bannam, Sanctum Raphaelem; insulam Ascensionis, et navem bellicam Tartaram, pertinet. Sola exempla de quibus ambigere licet, præbent scribæ duo de nave bellica Dasher recepti, atque puer qui Bahiæ navem intraverat. Primi quidem mali sui seminia e nave sua, quæ eandem per oram ac Bannam diu

* Vide p. 17.

curritaverat, adduxisse potuerunt, atque duo viri qui Bannam ex ea visitaverant immunes restabant, quod si febris contagiosa fuisset, vix sperandum.

Casu vero secundo, navis unde puer iste venisset, Bahiæ stativa erat, iisdemque, verisimile est, ac Tartara causis objecta fuerat: vel, etiam si hoc negetur, ut minus probabile, cum Banna aliquandiu in regione tropica morata esset, munditia diligentissima nihil obstante, potuit nihilominus, uti naves bellicæ *Pyramus* et *Scout*, causam febris in seipso contraxisse, absque ulla omnino contagione; sed hoc monitum tantum volo, quæstione magis curiosa dignum.

De historiis navium *Bulwark* et *Kent* ultra disserere haud opus est, quam ut historia de *Bulwark* satis confirmet, *miasma in navibus certis modis affectis subsistens, febrem perniciosissimam gignere posse.* Navi quidem *Kent*, causa febris, verisimile est, *Mahoniæ* fuit.

Postremo, doctissimo *BURNETT* persuasum est, febrem flavam non ab origine quidem contagiosam esse; censet tamen, ubi plures febrientes in loco angustiore stipate congregantur, nec proba ventilatio, nec justa munditia his rite administrari

possit, talibus febrem contagiosam fieri posse. Huic autem sententiæ egomet minus assentiri possum. Ubi enim multi etiam sani cum improbo vel deficiente cibo, sine ventilatione vel munditia salubri in locum angustum nimis aggregantur, febrem his generari facile concipio, sæpe quidem in Britannia fieri existimo. Sed hæc nequaquam febris illa peculiaris est, quæ paludum miasmatis gigni creditur, alioquin sæpissime in navibus mercatoriis occurreret. His enim, ut notissimum est, loca ubi nautæ dormiunt, maxime postquam navis onus acceperit, contractissima, neque singulari prorsus nitore sunt.

Atqui in febre quam ipse describendam suscepi, nihil ejusmodi contigit. Numerus enim febrientium tum maximus est, cum navis fere inanis est, atque spatium nautis amplius longe præbetur: sed cum navis altum petit, atque viri intra limites angustiores cohibiti sunt, morbus brevi evanescit; dum, si contagiosa ei vis tribuatur, tum virulentiam majorem exercere deberet.

Cum Doctore BANCROFT igitur ex toto consentio, in libro suo inæstimabili docente, imo ut mihi videtur, demonstrante, FEBREM FLAVAM CONTAGIONE NULLO MODO PROPAGARI POSSE.

APPENDIX.

E

APPENDIX.

A.

DOCTOR BANCROFT hæc scripsit. " When the affection of the head has been the principal feature of the disorder, the integuments of the brain have generally been found more or less inflamed, especially near the temporal bones; the vessels of the dura mater, and of the pia mater, were not unfrequently observed to be turgid with blood, which moreover was sometimes extravasated. Effusions of a watery fluid also have occasionally been seen over the surface of the brain, or in vesicles between the pia mater and tunica arachnoidea. In some cases, the integuments have been so firmly attached to each other, and to the brain, that in attempting to raise, or separate them, a part of the substance of the brain has been torn up. The volume of the brain is often increased, and the substance of it, in some instances, more

firm than usual; when cut, the vessels distributed through it, have been so distended with blood, that the medullary part has immediately become thickly spotted with red points, owing to the oozing of blood from the divided vessels; and it was not rare to find that some of these vessels had been ruptured, and that blood had escaped into the substance of the brain. The ventricles have usually contained water, frequently of a yellow colour, and were, in some cases, quite filled with it. The plexus choroides has often been loaded with blood.”
—P. 17.

“ In those cases in which the stomach is principally affected, the stomach has, in every instance, as far as either my knowledge or information extends, exhibited very evident signs of inflammation. In some cases, almost the whole inner surface was inflamed; very often portions of the villous coat were abraded, and not unfrequently observed floating among the contents of that viscus. Marks of inflammation, but less violent, have been often seen in the small intestines, especially near the pylorus. The inflammation seems of the erythematic kind. This kind of inflammation is apt to spread wherever

there is a continuity of membrane or of structure ; and as such continuity exists through the whole alimentary canal, the viscera nearest to the stomach, must be liable to participate in the inflammatory affection of the latter."—*BANCROFT ON Yellow Fever*, p. 22.

B.

Cum vero nuper in dissertationem Doctissimi ROBERTI ARMSTRONG de hac febre præstantissimam inciderim, ille quidem quas mihi defuisse doleo, plures cadavera mortuorum incidendi occasiones nactus fuerit ;—eorundem descriptiones in meam Appendicem transferre, haud inutile duxi.

“ In quinque ex septem corporibus, quæ mihi explorandi quarta post mortem hora oblata occasio est, quibusque caput præsertim affectum, signa sequentia observata sunt.

“ Dura mater, cranio firmissime adhærebat ; cujus quidem facies externa plurimas et numerosas maculas sanguineas, in se invicem confluentes, peneque universam membranæ superficiem occupantes, ostendit. Tenuiores arteriæ meningæ ramusculi, quasi cera colorata repleti mire rube-

rant. In duobus, etiam massæ cerebri dura mater ita accreverat, ut retracta, portiones materiæ corticalis secum auferret. Superficies cerebri sero circumlota madens: tunica arachnoidea perquam vasculis referta, in locis nonnullis speciem opacam vel nubilosam præbens. In duobus, lymphæ coagulabili effusa, pia mater summopere vasculis referta: plurimæque exiguæ vesiculæ sero plenæ in delicato illo textu, tunicas duas conglutinante, conspicuæ. Vascula inter convolutiones turgidissima. Substantia corticalis et medullaris firmæ, puncta plurima rubra serumque sanguineum e locis divisis exsudantia, incisæ exhibentes; hæc puncta plura et ampliora in cortice inciso.

“ Ventriculi laterales plus minus humoris habentes, sed copia nunquam magna. Parietes harum cavitatum, vasa minima sanguine rubro tumide repleta; plexus choroides duobus exemplis auctus: cæteris pallidus, vacuus.

“ Cerebellum eundem aspectum ac cerebrum præ se fert: effusiones seri in basin cranii canalemque spinalem, in uno exemplo, ex toto fere ad uncias quatuor accedebant.

“ Intestina plus minus aëre inflata sunt. Intus-susceptio illi bis visa, ubi convulsiones mor-

tem antecesserant, sed sine ullo inflammationis indicio.

“ Hepatis fabrica nullo modo e naturæ norma deflexisse visa, in quatuor ex quinque exemplis. Incisa vix ulla humoris exudatio fuit e nova superficie. Vesicula fellis atra bile ad picis liquidioris crassitudinem, atque cum flocculis coagulive mixta, turgida erat. Hæc materia tinctum aterrimum etiam satis magnæ aquæ copiæ imperterrit.

“ Lienis sanus. In uno exemplo, ubi æger prius ab effectu regionum calidarum debilitatus fuerat, hepar nonnihil ampliatur, induratum; lienis natura tenuior firmior.

“ In thorace nullæ notæ morbi evidentes observatæ sunt.

“ In duobus exemplis, ubi morbus ventriculo magis incubuit, capitis affectus, non nisi mediocris fuit. Ventriculus vero maculis plagisve potius lividis notatus erat, maxime circa regionem cardiacam, in facie interna. In aliis locis quasi chemosin, in aliis cineraceam pulti subsimilem, semisolutam speciem exhibuit. Nonnullis locis tunica villosa partim separata fuit, inter digitos tracta facillime desquamans. Ventriculi cavitas

fusci humoris aliquantum habuit. Lividæ quoque maculæ in tractu intestinorum perceptæ sunt; in nonnullis locis fabrica naturali fere omnino destructa. Hepar valde auctum, sanguine nigro repletum, facile lacerabile. Lienis quoque auctus, massam coaguli referens; inter digitos friabilis. Nulla in cavum abdominis effusio; nulla alia ex visceribus, quid perpessa videntur."

FINIS.